



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XXIII. Nonam morborum caussam esse, justitiam Dei, hominum peccata punientis, ostenditur ex historijs veteris Testame[n]ti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

226 Cap. XXIII Noua morb. eaussa, iustitia Dei in veteri Testamēto.
cibi appetitus; in renibus & vesica calculus generatur: podagra
pedes occupat, omnia denique membra tremunt & contrahun-
tūr. Hinc qui aquam bibunt, plerumque sunt robustiores; vini
potatores, qui noctem in diem, & diem in noctem vertunt, ve-
reque, quia dum lucet, dormiunt, dum sol terram subit, bibunt,
Principes dici possunt tenebrarum, omnibus morbis corpus ob-
ruunt. In compendio dixit Poëta.

Nubila lippa, febris, tabes, mors, calculus, hydrops,
Vestigal Bromi, & fex scelerata meri.

Ita, dum querunt in poculis homines voluptatem, inueniunt
crucem. Quare, sicut D. Ambrosius de illis; qui alios vel directe,
S. Ambr. lib. vel indirecte inducunt ad ebrietatem, dixit: *Rogas ad jucunditatē,*
de Elia & je- *cogis ad mortem;* ita de his licet dicere, tot eos morbos, quot scy-
jun. cap. 13. phos bibere, si bibant extra necessitatem, & natura reluctante.
Cui igitur morbos hos debent, immo cui possunt, nisi sibi met-
ipſis ascribere? Itaque si ægrotent, verum morborum suorum
authorem accusent, & cum in morbo & lecto cubant, illud sibi
metipſis canant: *Tute tibi intrinſisti, tibi exedendum est.*

C A P V T XXIII.

Nonam morborum cauſam esse Iuſtitiam DEI hominum,
peccata punientis, ostenditur ex historijs ve-
teris Testamenti.

I.

Hec usque morbos hominum à natura, à dæmonis inui-
dia, à malitia dæmoni seruentium, ab hominum ipso-
rum ira, odio, temeritate, intemperantia, alijsq; virtus
oriri ostendimus. Nec illud tacuimus, per peccatum mortem
introiisse in mundum, & labores vna languoresque, qui mortem
antecedunt, tamquam prænuntij, vel tamquam stipatores satel-
liteseque comitantur. Vnde intelligi potest, etiam Deum ipsum
esse cauſam morborum mortiumque, non tantum permitten-
tem, sed etiam immittente punientemque. Et quidem multis
de cauſis justissimè Mundi Rector humano generi morbos vel
immittit, vel permittit. Quarum sanè prima est iustitia homi-
num peccata puniens, sine qua mundus iste non gubernaretur.

Sicut

Sicut enim decet virtutes p̄m̄ijs, ita parest peccata supplicijs affici. Inter quæ supplicia sunt etiam morbi & mortes, & ceteræ calamitates. Duplicis autem sunt generis peccata, quibus eiusmodi pœnæ debentur. Unum originale, cetera personalia appellantur. Illud Adamo quidem personale fuit, sed originale dicitur, quia etiam in posteros Adami deriuatum est, qui in Adamo tamquam capite suo, peccauerunt, ac proinde cum illo lunt. Cùm enim Conditor noster, hoc ipso sit Dominus noster, quia illius opus sumus, sicut olla figuli, meritò p̄ceptum posuit, quo ei tamquam Domino jubebamur obedire; & si faceremus, p̄m̄io; si essemus rebelles, supplicio digni efficeremur. Quod, ne nesciret Adam, dictum est illi: *Ex omni ligno Paradisi comedere: de ligno Gen. 2. 16.* autem scientia boni & mali, ne eomedas. in quocumq; enim die comedēris, ex eo, morte morieris, tu scilicet, & posteri tui, quibus vel vitam obtinere poteris abstinendo; vel, p̄auaricando, labores, sudores, dolores, mortemque ipsam promereris. Nam abstinuit, comedit, in hæc omnia incurrit. Quid enim aliud facere debuit diuina iustitia, nisi ut plecteret p̄auaricatorem? seruumq; puniret inobedientem? Et clementer puniuit. Nam quod naturæ erat debitum, vertit in supplicium; permisitque hominem suæ fragilitati: quem, si in innocentia & iustitia originali, qua eum ornauit, permanisset; & ab infirmitate, & ab ipsa etiam mortalitate exemptisset.

Ob hoc ergo delictum & parens, & omnes filij eius, morbis, mortibusque justissimè subiecti sunt. Sed non fuit satis in progenitore peccauisse, ipsi etiam posteri eius peccauerunt, ut mortem pluribus titulis promererentur. Itaque & isti, propter ea quoque delicta, quæ ipsi commiserunt, plectuntur miserijs, quæ illis iam aliunde, ob peccatum scilicet protoplasti, debebantur. Nam & infantuli, qui aliud peccatum non habent, quam originale, iisdem miserijs afficiuntur. E quibus ipsis Julianum Pelagianum conuincit D. Augustinus, infantes sine peccato originali non nasci, ob quod, diuina iustitia exigente, illis vel pœnæ, vel penalitates istæ inferantur. Ita enim Pelagianum alloquitur. *Nonnè ipse dixisti, administrationem corporis sic animo esse commissam, ut fructus operis fieret viri, communis, & vel virtutis exerce-* S. Augustin. lib. 3. contr. Julian. Pelag. cap. 4.

228 Cap. XXIII. Nona morb. causa, iustitia Dei in veteri Testam̄to,
cita gaudia, vel insolentia poenae, cum cito, quam hic non bene rexerat,
carnis afflictione sentires? responde igitur, quare in hac ipsa vita affi-
ltione carnis anima brucietur infantis, cuius ei meritum, quia non
benè rexerit carnem, adhuc non potest imputari naturam dicas huma-
nam in exordiis nascentium innocentie dote locupletem. Fatae sunt, sicut
quantum ad peccata pertinet propria. Cum autem etiam originali ne-
gatis obnoxios, respondete, quo merito tanta innocentia non sum quām
caca, nonnumquam surda nascatur? quod visum etiam ipsam impedit
fidem, Apostolo teste qui dicit: Igiter fides ex auditu. Nam verò quis
ferat, quod ad ipsum spectat animum, imaginem DEI innocentie, sicut
afferis, dote locupletem, fatuam nasci. si nulla ex parentibus mala me-
rita in parvulos transirent? an ita est quisquam vestrum fatuus, ut fa-
tuitatem nullum malum putet, cū Scriptura dicat mortuum septem
diebus, fatuum verò omnibus dicim esse lugendum? Quis autem ne-
sciat, quos vulgo meriones vocant, natura ita fatuos, ut quibusdam co-
rum panè sensus pecorum conferatur? Et non vultis fateri, genus hu-
manum ex initio, quo DEV M destruit, trahere damnata originis no-
xiam his omnibus dignissimam pñnis, nisi ubi parcit ratione dispositio-
nis occulta, inscrutabilis sapientia Conditoris, qui nec ab ipsa uniuersa
massa perditionis abstinet sui operis bonum, ut ex malis vitiorum con-
dat, lices cum malis, in quantum bona est, rationem, mortalemq; na-
turam, cuius nemo esse potest Conditor, prater ipsum: & in generatione
damnata prabeat vasis misericordie regenerationis auxilium. Frustra
itaq; patas in parvulis non esse delictum, quia sine voluntate, qua in-
eis nulla est, esse non potest. Hoc enim recte dicitur, propter proprium
cuiusq; peccatum, non propter primi peccati originale contagium. Quod
si nullum esset, profecto nulli malo parvuli obstricti, nihil mali vel in cor-
pore, vel in anima substantia justi DEI potestate patarentur: quod ta-
men & ipsum à mala voluntate priorum hominum sumpfit exordium,
sicut voluntas mala ipsa est origo peccati, id est, à voluntate mala pec-
catum exortum est. & peccati origo voluntas mala est, ita nisi volun-
tas mala, non est cuiusquam illa origo peccati.

Sicut autem parvuli poenam exsoluant propter peccatum,
quod à mala voluntate priorum hominum sumpfit exordium; ita
adulti & propter illud ipsum, & propter multa insuper alia, quæ
ipso perpetrant, atrumque his justissime puniuntur; tantoque ju-
stius

Rom. 10.

Eccles. 23.

III.

ilius, quia bis, ter, centies, immō millies, sic puniri meruerunt. Non novit DEVM, qui tantū putat esse misericordem & liberalem; etiam justitia illius est agnoscenda, & metuenda. Hoc vicit, judicem quoque agat, necesse est. Iudex autem, ut varias causas, ita & diuersos habet modos puniendi. Cain fratricidam sic legitur allocutus: *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui Gen. 4. 10.* clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram quam aperuit os tuum, & suscepit sanguinaria fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus & profugus eris super terram. Ecce actorem Abel, reum Cain, DEVM judicem, pœnam, maledictionem, laborem, exilium. Hoc judicium fuit inter primos hominum filios. Postea, transactis aliquot seculis, cum cœpissent homines multiplicari super terram, & peccata quoque *Gen. 6. 1.* multiplicarentur, dixit DEVS: Non permanebit spiritus meus in homine in eternum, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum. Quod, teste Augustino, non sic accipiendum est, quasi pranuntiatum sit, post bac homines centum viginti annos vivendo non transibent, sed cœpissent diluvium etiam quingentes exceſſe inueniamur; sed centum viginti anni prædicti sunt vita hominum periturorum, quibus transactis, diluvio delerentur. Itaque, videns DEVS, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset, ad malum omni tempore, paenituit eum, quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus, dolere, inquit, hominem, quem creauit à facie terra, ab homine usq; ad animantia, à reptili usq; ad volucres cali. Locutus est nempe DEVS, juxta humanam consuetudinem, ut enormitatem peccatorum exprimeret, quia & nos ea, quorum pœnitit, si possumus, destruimus. Ita ergo & DEVS sceleribus hominum tunc iratus & indignatus est. Porro *ira DEI, non perturbatio anima illius est, sed judicium, quo irragatur pœna.* Hac ira lib. 15. de civitate dei cap. 24. flagellauit Pharaonem plagiis maximis, & domum eius, propter Sarai uxorem Abram. Hac ira concitatus dixit ad Abraham: *Cla- Gen. 12. 17.* mor Sodomorum, & Gomorrah multiplicatus est, & peccatum eorum aggranatum est nimis, &c. Hac eadem tam multiplices plagas imposuit alteri Pharaoni Israëliticum populum ex Ægypto dimittere nolenti. Hac inflammatus percussit murmurantem Moy- sis sororem, & ecce Maria apparet candens lepra quasi nix. *Quod Num. 12. 13.*

Ff & Gie-

4. Reg. 5. 27. & Giezi, ac toti eius posteritati, ob auaritiam & mendacium, accidit. Neque ob gulam ſeipſum dumtaxat deiicit in morbos hominem; Deus ipſe, ſicut primos parentes, ita alios carnium appetitores etiam ſerio & citò castigauit. Vulgaris quippe, quod ascenderat cum eis, flagranit deſiderio, ſedens & flens, junctis ſibi pariter filiis Iſraēl, & ait: Quis dabit nobis ad vſcendum carnes? Recordamur pifcium, quos comedebamus in Egypto gratis. in mentem nobis venuunt cucumeres, & pepones, porriq[ue], & cepe, & allia. Annuit Deus, & pluit illis carnes ad manducandum. Sed citò præſto fuit vindicta. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huincmodi cibus; & ecce furor Domini concitatus in populum, percutit eum plaga magna nimis. Quæ erat illa plaga? vehemens pestis, ſubitæ mortes: nec antè illi coturnices in ventre ſepeliantur, quām ipſi in sepulchris concupiſcentiæ ſepulti ſunt.

IV.

Præſens quoque poena Dei fuit, quando Propheta regi Ieroboam ad altare ſtanti eſt de Iosia nafcitu ro vaticinatus, quz non libenter audiuit. Nam cum audiffet rex ſermonem homini DEI, quem inclamauerat contra altare in Bethel, extendit manum ſuam de altari, dicens: Apprehendite eum. Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eum: nec valuit retrahere eam ad ſe. Quod non factum eſt, ob peccatum idolatriæ, in qua Ieroboam peruerauit, ſed quia extenderat manum in virum DEI: dicens: Apprehendite eum. In qua voluntate rex non permanuit, ſed magis eum deinde honorauit, volens ei etiam munera offerre. Ni mirū ſæpe, etiam cum miraculo ſanati, non ex toto conuertuntur, immo ſæpe penitus non corriguntur. Quare beneficium acceptum erit in maiorem illis damnationem, quod corpore ſanati, animo male affecto permanferint. Certè Christum etiam permanentibus in peccato sanitatem corporalem miraculosè aliquando dediffe, ſatis liquet in ſanato Malcho, & in nouem leproſis ingratiss. Porro, post triplex miraculum, ſcilicet arefactam & iterum precibus Prophetæ ſanatam manum, ac ſcissum altare effusumq[ue] cinerem, non eſt renersus Ieroboam de via ſua peſima. Itaque in & cap. seq. tempore illo agrotauit Abia filius Ieroboam. Immō tota domus Ieroboam & euersa eſt, & deleta. Neficitur ſæpe, cur hic, cur ille, agrotet; ſed pater in filio, & tota domus punitur ob patrem familias,

Ioan. 18. 10.
Luc. 17.

3. Reg. 13. 33.
& cap. seq.
v. 1.

milias, quia nonnumquam tota domus in illo, aut cum illo peccat. Quamvis id genus poenæ carius infligatur. Sæpe exemplò adest morbus, post commissum peccatum. Ita paulò antè memorato Giezi reuertenti dixit Eliséus: *Sed & lepra Naaman adharet.* 4. Reg. 5. 27.
bit tibi, & semini tuo usq; in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus, quasi nix. Vnus dies, immò vñica nox intercessit inter in- 4. Reg. 7. 20.
creduli ducis seomma, & impletum Eliséi vaticinium. Nam al- 1. Paralip. 21.
tera luce, conculcauit eum populus in porta, & mortuus est. De pe- 14.
ste in populum à Davide numeratum immissa, alio iam loco
egimus.

Hanani Propheta increpauerat regem Iuda Asa, quod fiduciam habuisset in rege Syria, & non in Domino, iratusq; Asa aduersus Videntem, iubet eum mitti in neruum: valde quippe super hoc fuerat indignatus: Quid ei contigit? Quia Prophetam misit in neruum, quo pedes constringuntur, talionis poena plexus est. Nam agrotauit etiam Asa anno trigesimo nono regni sui, dolore pedum vehementissimo, & nec in infirmitate sua quassavit Dominum, sed magis in medicorum arte confusus est. Non vult contemni medicum Devs, quem jubet honorari: *Honor a medicum propter necessitatem: etenim illum creauit Altissimus,* ait, à DEO enim est omnis medela: sed hac ipsa de causa, non magis est in arte medicorum confideandum, quam in Deo, qui in morbis omnibus est inuocandus. Stultiissimi mortales, qui in ualeutidine laborantes tam sollicitè de medicis circumspiciunt, de Deo autē rogando & conciliando non cogitant, sine quo omnes medicinae sunt venena. Rectè proinde faciunt illi in Italia magistratus, ex quorum lege medici non audent, in agrotis curandis, antè progredi, quam videant etiam medicos spirituales vocari. Ioram filius Iosaphat fratres suos & quosdam Principes Iuda occiderat, cui Elias (post raptum, ex eo loco, in quem Angelico ministerio translatus est, ut aliqui volunt) has litteras scripsit: *Hec dicit Dominus Devs David patris tui: Quoniam non ambulasti in vijs Iosaphat patris tui,* 2. Paralip. 21.
& in vijs Asa regis Iuda, sed incepisti per iter regum Israël, & fornicari fecisti Iudam, & habitatores Ierusalem, imitatus fornicationem domus Achab, insuper & fratres tuos, domum patris tui, meliores te occidisti; ecce Dominus percutiet te plaga magna, cum populo tuo, & filiis.

V.

232. Cap. XXIII. Nona morb. causa, iustitia Dei in veteri Testamēto.
filījs, & uxoribus tuis, univerſaq; substantia tua. tu autem agrotabis
peſsimo languore ueritui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per
ſingulos dies. Itaque & hostes ei Philistinos, Arabesque ſuscita-
uit Devs, qui terram luda vastauerunt, diripuerunt q; cunctā
ſubstantiam, qua inuenta eſt in domo regis, insuper & filios eius. & u-
xores, &c. Et ſuper hac omnia percuſit eum Dominus alii languore
infanabili. Cumq; diei ſuccederet dies, & temporum ſpatia volueren-
tur, duorum annorum expletus eſt circulus: & ſic longa conſumpta
tabe, ita ut egereret etiam uifera ſua, languore pariter & vita caruit.
Utinam autem non etiam poſt vitam cruciatus fuiffet continua-
tus & multiplicatus, iuſtissimo iudice vindictam tam atrocium
ſcelerum in hac vita inchoante, atque in aeternum ſupplicium
propagante.

VI.

a. Paralip. 26.
15.

Ozias, ob nimiam felicitatem elatus, ſacerdotis ſibi officiu-
arrogauit, non dilata eſt poena, inter adolendum plexus eſt. Quæ
historia, quia eos erudit, qui adulatoriè permifcent officium
Principis, cum officio ſacerdotis, dicentes, vnumquemque Prin-
cipem, in diſtione ſua, poſſe diſponere de religione & cultu diuino
eiusque ceremonijs, iphis Scripturæ verbis eſt apponenda. Ozias
itaque pugnauit proſperè: egressumq; eſt nomen eius procul, eò quod
auxiliaretur ei Dominus, & corroborasset illum. Sed cùm roborus
eſſet, eleuatum eſt cor eius in interitum ſuum, & neglexit Dominum
Deum ſuum: ingressuſq; templum Domini adolere voluit incenſum
ſuper altare thymiamatis. Statimq; ingressus poſt eum Azarias ſacer-
dos, & cum eo ſacerdotes Domini octoginta viri fortissimi reſtituerunt
Regi, atq; dixerunt: Non eſt tu officij, Ozia, ut adoleas incenſum
Domino, ſed ſacerdotum, hoc eſt, filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt
ad huincmodi ministerium: egredere de ſanctuario, ne contempferis:
quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino DEO. Iratusque
Ozias, tenens in manu thuribulum, ut adoleret incenſum, minabatur Sa-
cerdotibus. Statimq; orta eſt lepra in fronte eius coram ſacerdotibus in
domo Domini ſuper altare thymiamatis. Cùm reſpexiſſet eum Azar-
ias Pontifex, & omnes reliqui ſacerdotes, viderunt lepram in fronte
eius, & feſtinato expulerunt eum. Sed & ipſe porterritus, accelerauit
egredi, eò quod ſenſiſſet illico plagam Domini. Fuit igitur Ozias Rex
leproſus uſq; ad diem mortis ſue, & habitauit in domo ſeparata plenus
lepra,

lepro, ob quam ejectus fuerat de domo Domini. Videte igitur, mag-
nates, quid mereamini, qui Parochis vestris, immō Episcopis
vestris leges datis, mandata præseribitis, tamquam ipsi Episcopi
essetis: videte, quid mercedis apud D̄VM mereamini. Si non
vultis carpi morbis extra ordinem orituris, Reddite quæ sunt Matth. 22. 21.
Casario Casari, & quæ sunt DEI D̄O.

Quod quia neque Antiochus fecit, non solum in ea mala
incidit, quæ supra recensui, sed etiam palam agnouit, cur in ea
mala incidisset, dicens: Nunc reminisco malorum, quæ feci in Ie. 1. Machab. 6.
rusalem, unde & abstuli omnia spolia aurea & argentea, quæ erant in 12.
ea, & misi auferre habitantes Iudeam sine causa. Cognoui ergo, quia
præterea inuenerunt me mala ista: & ecce pereo tristitia magna in-
terra aliena. Cognoui peccatum suum, sicut & Iudas, qui dixit:
Peccavi, tradens sanguinem innoxium, sed non cognoui ad veram
pœnitentiam. Neuter enim recurrit ad DEI misericordiam, vt
oportebat. Etsi enim Antiochus orabat Dominum, tamen orabat 2. Machab. 9.
eum, à quo non esset misericordiam consecuturus; quamvis desideret 13.
admissa, & sati facturum se se promitteret. Quia, vt S. Augu-
stinus respondet, Nemo dignè paenitere potest, quem non sustineat
unitas Ecclesie & fidei. Igitur Antiochus non credebat ex animo
in D̄VM Iudæorum, neque statuebat seruare religionem ab ipso
præscriptam, sed tam speciosa promittebat tantum, vt posset eu-
dere præsentem calamitatem. Quæ autem nos superiū ex pri-
mo libro Machabæorum breuius narrata attulimus, in secundo
libro enucleatiū in hunc modum narrantur. Elatus autem in 2. Machab. 9.
ira, arbitrabatur se injuriam illorum, qui se fugauerant, posse in Iudaos 4.
retorquere: ideoq; iussit agitari currum suum, sine intermissione agens
iter, calesti eum judicio perurgente, eò quod ita superbè locutus est, se
venturum Ierosolymam, & congeriem sepulchri Iudaorum eam factu-
rums. Sed qui uniuersa conficit Dominus D̄vs Israël, percutit cum
insanibili & intuisibili plaga. Ut enim finiuit bunc ipsum sermonem,
apprehendit eum dolor dirius viscerum, & amara internorum tormenta:
& quidem satis justè, quippe qui multis & nouis cruciatibus aliorū
torserat viscera, licet ille nullo modo à sua malitia cessaret. Super hoc
ausem superbia repletus, ignem spirans animo in Iudaos, & præcipiens
accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, &

G g grani

23 + Cap. XXIV. *Iustitia morbos immittentis Dei in novo Testamento,*
grauis corporis collisione membra vexari. Itaq; qui sibi videbatur etiam
fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus,
& montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad ter-
ram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semet ipso
contestans: ita, ut de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentis in
doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius & factore exercitus
granaretur, & qui paulo ante sidera celi contingere se arbitrabatur,
cum nemo poterat propter intolerantiam factoris portare. His talibus
exemplis prelustris in veteri Testamento Devs, ut, qui in illis suam
vident depingi imaginem in peccando, genus quoque supplicij
contemplentur ante, quam incurvant; neque lachrymas in vi-
tium differant tempus. Sera est omnis poenitentia, qua non
est seria. Seria autem esse non potest, qua de sua poenâ, quam de
Dei offensâ, magis dolet.

C A P V T X X I V .

*Eadem iustitia DEI homines vario morborum genere, ob
peccata, punientis declaratur exemplis noui
Testamenti.*

I.

N aquam demissa quædam, cum sint rectissima, speciem
curui præfractique visentibus reddunt: ita quidam de
morbis hominum perperam judicant; sed illorum est
vitium, non DEI, morbos ex iustitia iniicientis. Quid vires im-
probo? ut fortius peccet? Valere deberent omnes? si non me-
rerentur ægrotare. In pantheris totum reliquum corpus macu-
lis picturatum placet, si caput tegas. Quod si velum amoueas,
belluam fateberis esse vinculis dignam. Ita quorundam valen-
do pulchra videtur esse, si celes id, quod est caput, genus viuendi.
Quidam enim ideò valetudine abutuntur, ut rectissimè Mundi
Iudeo censeat, eos morbis coercendos. Quod, ut in veteri testa-
mento saepius fecit, ita & in novo continuavit. Venit aliquando

Matth. 9. 1. S. Hieron. in comment. S. Augustin. lib. 2. de con-
Seruator in ciuitatem suam, hoc est, in Nazareth, ut D. Hierony-
mus & Augustinus probabile putat, aut melius, in Capharnaum,
in qua frequentius habitabat. Et ecce offerebant ei paralyticum
iacentem in lecto. Et videns Iesvs fidem illorum, dixit paralytico:

Confide,